

Thesis inauguralis de nauseosi, et modo ejus administrationis in phthisi curanda ... / Eruditorum examini subjicit Alexander Crigan.

Contributors

Crigan, Alexander.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1803.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b73qt5cb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

THESIS INAUGURALIS

DE

NAUSEOSI,

ET MODO EJUS ADMINISTRATIONIS IN
PHTHISI CURANDA.

THESE INAGURALS

IN AUSE OF

IN AUSE OF

IN AUSE OF

THESIS INAUGURALIS
DE
NAUSEOSI,
ET MODO EJUS ADMINISTRATIONIS
IN PHTHISI CURANDA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER CRIGAN,

ANGLUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. CHIRURG. DUBL. SOC.

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

TERENT. *Heautontim.*

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

1803.

VIRO SPECTATISSIMO,
GULIELMO FORBES,
EQUITI BARONETTO
DE *PITSLIGO*,

OMNIBUS VIRTUTIBUS
QUÆ HOMINEM AMICIS ET PATRIÆ
CARUM REDDUNT
ORNATISSIMO,
PROPTER SUMMAM
ET NUNQUAM OBLIVISCENDAM
BENEVOLENTIAM,
QUA EUM DIGNATUS EST,
HOCCE OPUSCULUM,
ANIMI OBSERVATISSIMI
TESTIMONIUM,
DEDICAT
ALEXANDER CRIGAN.

VIRI REVERENDI

GULIELMO FORBES

EXCIT. BARONETTO

DE LONDRA

ORATIONE VIRGILIO

QUE HOMINEM AMICIS ET PATRIBUS

CARIUM REDDUNT

GENATISSIMO

PROPTER SUMMAM

ET HONORAM DILIGENTIAM

REVERENTIAM

QUE EUM DIGNATUS EST

RECERE OTUSCULUM

ANIMI OBSERVATISSIMI

TESTIMONIUM

DEDICAT

ALEXANDER CRIGAN

ALD. O. R.

VIRO BONO PROBOQUE,
NATHANAELI CRAVEN,
DE *EBLANA*,
MEDICO PERITISSIMO,
SUB CUJUS TUTELA
MAXIMI ÆSTIMANDA
MEDICINÆ PRIMUM INCUBUIT;
HANCCE, QUALEM CUNQUE THESIN,
ANIMI BENEFICIIS IN ÆTERNUM OBSTRICTI,
ET
AMICITIÆ INTEMERATÆ,
EXIGUUM SED SINCERUM PIGNUS,
SUMMO STUDIO
CONSECRAT
A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

THESIS INAUGURALIS

DE

NAUSEOSI,

ET MODO EJUS ADMINISTRATIONIS IN
PHTHISI CURANDA.

PROOEMIUM.

SIGNA molestissima quibus Nauseosis
(malum cui incolæ hujus insulæ ex multis causis maximè patent) semper comitantur, ut me ad hoc argumentum reciperem, satis suaserunt. Aliâ autem potissimùm ratione, hoc attentionem vindicare mihi videtur; nullum enim aliud remedium, modò cautè et prudenter usurpatum fuerit, in morbo strages latè inferente, et hætenus prorsùs immedicabili,

bili, debellando, magis forsan valet, fortiùsve progressui ejus obstat.

Scriptores qui aliquid de Nauseosi literis tradiderunt, ad ea quæ maximi sunt momenti mentem parùm appulisse videntur.

Theoriam de natura hujus mali spectatam, et sanè rationi satis congruam, auctor recens illustrissimus protulit; quæ fidem firmiorem accepit, ex observationibus, notatu dignissimis, quas auctor *Medicinæ Nauticæ* perelegans super hoc propositum habet. Quod autem attinet ad vires ejus pro remedio in illo morbo, in quo tam sæpè præscripta est, vel ad modum operandi, nil ferè ex aliorum scriptis mihi suppetit.

Multa in sequentibus paginis tradita, ex aliorum observatis deprompta fuêre; multa autem propriâ experientiâ nituntur:

—— Quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. VIRG.

DEFINITIO.

Quod ad definitionem hujus morbi attinet, sequentibus signis haud ineptè insigniri potest:—"Nausea molestissima, vomitu acerbissimo, nisu vehementi, et maximo virium et animi et corporis lapsu plerumque comitata; vertigine sæpè præeunte; ex navigio orta."

Signa quæ hujus morbi accessum prænunciunt, ex situ ægrotantis, et rebus circumpositis, plurimum pendent: Si super foros navis manserit, et res vicinæ in sensus cadunt, levis tremor et vertiginis sensus primum obrepunt, visus imminuitur, et æger quasi aliquid in oculos irrepserat, eos affricare subinde incipit; mens, ac si subito terrore commota, turbatur, et anxietas quædam verbis haud facilè describenda, "not unlike what

" we

“ we feel in going into a deep river, when
“ the buoyancy of the water appears to raise
“ us from the bottom * :” his nausea supervenit, quam vomitus plerumque brevi subsequitur : nonnunquam autem hæc per multas horas perstat, et tandem decedit, nullo vomitu excitato. Cùm autem res se ita habet, ut primum navis ad terram appulsa est, vomitus, vel diarrhœa biliosa, accedit.

Si autem diætam pleniorẽ assumserit, et liquoribus spirituosis fermentatisve liberè usus est, et statim postquam navem ascenderit, lectum petit ; ocyùs seriùsve nisus vehementes ventriculi, ad semet ex onere, quo gravatur, liberandum, somnum excutiunt, et sat superque de nausea appropinquante monent ; tandem pleno ore ingesta rejecit, quod turbas consopiat, et p̃stina vis, et animo et corpori redit.

Tempus

* TROTTER, Medicina Nautica.

Tempus per quod intercapedine malorum fruitur, secundum statum navis et motum ægrotantis variat; exiguo autem temporis spatio, omnia signa novâ vi redeunt.

Arteriæ nunc solito tardiùs et molliùs micant: respiratio brevior evadit, et inspiratione pleniore subinde interpellitur: Facies pallida evadit; rigores leves accedunt; visus ita depravatur, ut res in nulla certa sede manere videntur; accedit quoque anxietas, et nausea summa; os salivâ viscidâ et tenaci scatet, et caput sudore frigido madet; mens ferè deficit, et potestas musculorum, qui voluntati parent, movendi ita deletur, ut si æger pedibus stare aggreditur, statim corrui, si nil adest quo inniti potest.

Tandem ventriculus iterum ad motus abnormes cietur; nisus graviores fiunt, et fluidum, quod ex bile præsertim constat, rejicitur; et sudor præsertim circa caput et pectus copiosè erumpit. Viribus omninò resolutis,

æger

æger somnum parùm placidum carpit, ex quo, sonu motuve levissimo, excitatur; etiam bilis ipsa in ventriculo debilè accumulata, eundem effectum præstare, brevi post in somnum inciderit, plerumque valet.

Ægrotans, post inanes vomendi conatus, nunc parùm reficitur, sed sine intermissione acerbissimè torqueri perstat; lucem, sonum, vel motum, levissimum, utpote cruciatus exasperantem, tolerare nequit; pulsus frequentior fit, dolor acutus ad scrobiculum cordis, vel ad superiorem partem canalis alimentarii, sentitur; quem nova ad vomendum conamina brevi subsequuntur. Tandem quantitas bilis subviridis, viscidæ, et admodum amaræ, eructatur; color ejus ovi jugo, sæpè haud absimilis est: ut primum hæc ejicitur, grata quies obrepit, et ægrum penè exanimem recreat.

Cùm malum eoúsque ingravescit, hæmorrhagiæ nonnunquam occurrunt: Cor palpitat;

tat ; et etiam, in quibusdam exemplis, vermes ex ore expelluntur.

Signa hujus morbi graviora rarò ultra tertiam vel quartam diem producuntur. Nonnunquam subito decedunt, eadem ferè ordine, ac invaserint : sæpiùs autem gradatim mitiora evadunt ; cibi desiderium rediit, et ventriculus ingesta retinet ; æger e lecto surgere, et super foros navis deambulare potest, et haud parum commodi ex aëre puro captat ; dum mens, rebus vicinis, ex malis gratè avocatur.

Si autem tempestas non calida fuerit, et mare turgidum, sensus frigoris et vertiginis eum rursùs descendere adigit ; et signa mali iterum redeuntis, eum decumbere cogunt.

Diæta non ita tenuis nunc uti potest ; vires gradatim recuperant ; et tandem motui perpetuo semet assuefaciunt.

Hoc modo, maxima pars nausæa maritimâ ægrotantium, ad solita salutis munera, evocantur ; et ad tempus insolitâ cibi appetentiâ et animi hilaritate fruuntur.


In nonnullis exemplis, nausea atrocissima etiam per menses perstat ; et vires ita diuturnâ valetudine exhauriuntur, ut si littus non attingere possunt, tandem morbo succumbunt.

Si navigantes, non itinera tam longa per mare emetiuntur, sed post paucos dies terrâ iterum potiuntur, effectus ex nutrimento defectu perpetuis vigiliis, et omnia debilitatis signa, statim ac navis intra conspectum litto-
ris advecta est, evanescunt, utcunque dira fuerint ; brevissimo temporis spatio, ad pristinam salutem reduces, omnium malorum obliviscuntur, et his molestiis, quibus brevè antea mors anteponenda fuit, irrident.

Nunc

Nunc, inusitata cibi voracitas jacturam quam fecit corpus citissimè reparat, et ventriculus, qui nuper cibum vel delicatissimum respuerit, omnia utcunque vulgaria avidissimè devorat. Non autem in omnibus res ita feliciter cedit; sunt enim qui postquam maris pericula evaserint, languore et debilitate plectuntur; ventriculus aliquid fastidii adhuc retinet; caput vertigine nutat; et muscoli titubantes, gressum parùm firmum reddunt. Hæc autem omnia, post noctem placidè peractam, decedunt.

Dum nausea perstat, alvus plerumque compressa manet; urina solitâ copiâ excernitur; et expectoratio mucii viscidii adest, qui, unâ cum urina, bile tingitur: Perspiratio per totam corporis superficiem libera est, sed copiosius e capite et collo promanat: Pulsus ut plurimum tardior et mollior evadit.



CAUSÆ.

Etsi homines, cùm primùm per æquora vehuntur, signis suprà traditis plerumque corripiuntur, non autem semper ita evenit: sunt enim qui, utcunque causis nauseosin concitantibus objiciantur, omninò immunes evadunt; dum alii leviter admodum laborant: hinc quandam proclivitatem ad morbum dari, quæ in nonnullis omninò abesse, in aliis maximè imminui potest, dilucidè patet.

Qualis sit compages corporis, quæ homines huic malo obnoxios reddit, omninò ignoro. Verba sequentia quæ huc spectant, ex libro nuper edito, et haud parùm laudato, citare liceat: “ Some peculiar disposition, it would appear, renders certain persons more liable than others to *nausea marina*. As far as my
“ observations

“ observations go, I think that this consists in
“ an irritable state of the nerves, and where
“ the stomach and intestines are easily affect-
“ ed from slight causes : the gouty constitu-
“ tion is of this kind ; all those people usually
“ said to be nervous, habits subject to dys-
“ pepsia, and spasmodic affections of the sto-
“ mach and bowels ; hence the fair sex in
“ making a passage, or sea voyage, are more
“ frequently sufferers than men *.” Hæc for-
san, in plerisque casibus, ad verum proximè
accedit ; et pro regula generali assumi po-
test. Omnibus autem non benè convenit :
testantur enim nautæ, et passim innotuit,
nutrices nunquam, et infantes perrarò, nau-
seâ maritimâ corripì ; et si unquam in his
occurrit, signa levissima sunt, parum moles-
tiæ creant, et brevi desinunt.

Inter causas quæ nauseosin excitant, se-
quentes enumerari possunt.

Motus

* TROTTER, *Medicina Nautica*.

Motus navis.—Aquæ circumfluentis agitatîo perpetua, et rerum quæ conspiciuntur instabilitas; aër quoque navis corruptus; vivida imaginandi vis, quæ, si æger antea eodem modo laboravit, sensus præteritos molestè revocat; nec minùs valet conspectus aliorum, jam fastidiosè ægrotantium.

Navis motus duplici præsertim modo morbum inducere valeat; rectè enim, vel in cerebrum, vel in ventriculum, agere potest. Modum quo hæc causa effectus edit, auctor summus, solitâ elegantiâ, sic describit:—
“ Varii quoque motus inusitati, hominibus
“ vertiginem creant, veluti rotatio capitis,
“ vel universi corporis; jactatio maritima,
“ præsertim si navis parva, mare turgidus,
“ fuerit, et similia: in his, et similibus exemplis, insoliti et inordinati motus sanguinis excitantur, et cum partibus nervosis quæ in capite sunt communicantur *.”

Navis

* Conspectus Medicinæ Theoreticæ.

Navis jactatio rectè in ventriculum turbas ciet, contenta ejus ad partes insolitas admo- vendo; quâ fit, ut huc illuc volutentur, et contra cardiam et alias vicinas partes fre- quentiùs illidunt: hæ autem præ aliis ferè corporis partibus sensiles sunt; et hâc causâ certè haud parùm afficiuntur: hinc forsân ra- tio quodammodo reddi potest, quare stoma- cho onerato, vomitus sæpè subitò ægro de- cumbenti supervenit, nullâ vertigine nec nau- seâ priùs urgente.

Effectus haud absimiles iis, quibus caput ex motu navis tentatur, ex rebus quæ visum affi- ciunt quoque oriuntur; quoniam mens de recta corporis positura, ex ratione inter id, et res vicinas collata, judicare solet; et muscu- li ad voluntatem subjecti, ad arbitrium regun- tur, ut hanc posituram sustineant: Quod- cunque igitur res quibus versamur, tantùm ex solita sede deturbat, motibusve inusitatis exagitat, ita ut nullum ex iis certum judici- um

um de corporis positura erecta ferri potest, æquilibrium evertit, et ad vertiginem inducendam valeat; hæc autem multò citiùs, et certiùs obtinet, si motu corporis super quod locamur, adjuvatur.

Capite vertigine correpto, vi commercii notissimi, quod inter hoc et ventriculum observatur, hic brevi in consensum rapitur, et mali fit particeps: hinc nausea marina deducenda est.

Alia causa, vitium scilicet aëris ambientis, non minùs frequens quàm molesta est; et si non morbum semper inducit cùm adest, saltem eum multùm intendit et acerbiolem reddit. Vitium quibus aër, in his locis sæpiùs subjicitur, sunt, imò, Gas hydrogenosum, aër benè notus, qui ex aqua circa navem stagnante (Anglicè *bilge-water*) extricatur, quâ aquæ Cocyti odorem non ita infandum spirant: Hæcce aqua ligno forsàn vel ferro navis decomponitur, et hunc aëra copiosè præbet.

præbet. 2dò, Aër multò majorem acidi carbonici, et gasis azotici, quantitatem, minorem autem oxygenii continet; quod multitudini hominum in cubiculo arctissimo, perflatibus venti minimè exposito, unà congregatæ, planè tribuendum est.


Quod effectus imaginationis attinet, optimè innotuit, nonnullos morbum antea expertos, sæpè nausæa marinâ corripì, priusquam navem conscenderunt.

Nociva omnium causarum potestas, adstantibus morbo jam laborantibus, multùm exasperatur.

DIAGNOSIS.

NULLUS morbus præter Gastritidem, cum Nauseosi confundi periclitatur; et ex illo levi
admodum


admodum negotio secernitur, si ad dolorem epigastrii pungentem pressurâ adauctum, et ad pyrexiam semper comitantem, paululùm modò advertimus.



PROGNOSIS.

IN nullo alio morbo exitum feliciorem plerumque sperari liceat. Prognosis ex constitutione ægrotantis, ex vehementia et duratione signorum, et si nauseosin antea expertus est, ex modo quo tunc evasit, petenda est; si vomendi conamina graviora fuerint, diutiùs protracta, et sanguinem cum bile commixtum proliciunt; si cor palpitat, et æger in syncope incidit, in statu magis lubrico versatur.

PRO-




PROPHYLAXIS.

QUODCUNQUE mentem fortiter detinet, sive gratum fuerit sive contrarium, modò ægrum ex statu quo versatur avocat, ad nauseam marinam cohibendam valet: hinc si in structura navis inspicienda occupatus est navigans, et res fortè oblatas assiduè contemplatur, vel chartis aut aleæ operam dat; vel dulci musices consentui auscultat; omni nauseæ imagine posthabitâ, morbo rariùs multò corripitur. Nec minùs ad nauseam arcendam valent pathemata graviora, siye mentem contristant sive erigunt. Nauseâ vel levissimâ obrepente, ad cyathum vini calidi, grato quodam aromatico priùs imbuti, vel ad pauxillum spiritûs vini Gallici usti, statim confugiendum est; et æger quantùm fieri potest, ad mentem ex malo avocandum niti debet.

Nonnulli postquam ad lectum semet reciperent, ad liquores spirituosos liberè recurrunt; si autem consuetudo nequid talè postulat, et longum iter per mare exarandum est, ab horum ingurgitatione omninò abstinuisse proderit: sin aliter, effectus qui hoc modo arcere student, multò citiùs et graviùs inducuntur.

Quod ad diætam spectat, levis debet esse, parca potiùs, et concoctu facilis, qualis ad ventriculum benè accommodata est; cavendum præprimis homine hujusmodi iter inituro, ne stomachum nimis saginat, statim antè navem ascendit.



MEDENDI RATIO.

MEDENDI consilia in causis morbi remotis evitandis, vel saltem imminuendis, et in tono corpori restituendo, versari debent.

Si

Si æger in superiore navis parte nausæa corripitur, et vertiginis sensus gravior fuerit, præcipiendum est, ut lectum peteret, quinque vel sex unciiis vini calidi eodem tempore administratis : si ventriculus hoc retinere nequit, spiritus vini Gallici usti cum feliciore eventu assumi potest. His adhibitis, æger sæpè in somnum incidit, et corpus causis excitantibus ita accommodatur ut non facilè iis afficitur.

Etsi hoc modo nausea sæpè compesci queat, in multis casibus non ita facilè remediis cedit ; et remedia validiora in auxilium revocanda sunt. Hoc consilio, opium aliis palmam facilè præripit. Cùm enim vomitus et nausea per horas molestissimè perstant, nullâ remissione interpositâ, hoc remedium sæpè brevi, motus ventriculi abnormes sedat, aliis incassum tentatis. Quindecim vel viginti guttæ tincturæ opii, vehiculo quovis idoneo assumptæ, levamen sæpè puncto temporis afferunt. Quod autem ad quantita-

tem

tem quæ assumi debet, attinet, nulla regula fixa dari potest; multum enim ex signis urgentibus, et ex ægri habitu, pendebit. Etsi opium brevi iterum rejicitur, non exinde solitis effectibus omninò destituitur.

Verisimile est, si opium non votis respondeat, ætherem, vel cum eo conjunctum, vel seorsim exhibitum, haud parum commodi secum afferre.

In uno exemplo ubi adhibitus est, ipse eum statim rejectum vidi: sed in hoc casu, æger ætherem tantum nauseavit, ut nil inde concludere fas est.

In quibusdam exemplis, mixtura alcalina cum succo citrico, sub opere effervescentiæ assumpta, bonos effectus edidit.

Sunt qui potu avenaceo solummodò, nauseam et nimiam ventriculi mobilitatem temperare aggrediuntur: et observatu dignum est,

est, eos, qui hujusmodi diluentibus, morbo obviam iri tentant, cùm e nave descenderunt, rarò vertigine vel nausèa ita molestâ plecti, ac ii, qui stimulos validiores nimis liberè usurpârunt.

In hujusmodi exemplis, cùm nauseosis ægrum in cubiculo navali detentum, corripuerit, si remediis suprâ descriptis, parùm proficitur, ad transtra navis ascendere debet, ubi plerumque multùm reficitur ; et si iterum ex frigore, vel vertigine, vel nausèa, ingravescenti, cubiculum adire cogitur, ut plurimum meliusculè se habet, modò aëri subinde renovato aditus conceditur.

Si cubiculum navale acido nitroso fumigatur, vitiis aëris suprâ traditis optimè occurratur. Acetum quoque circa conspersum, eîdem proposito benè inserviit ; et iidem effectus ex ferro incandescente in vas, hoc acido repletum, immerso, obtineri possunt.

Cùm

Cùm igitur accessus aëris externi denegatur, hisce modis vitia aëris contemperare possumus; et, quod sanè non minimi momenti est, sensum gratiorem ægrotantibus conciliare, odorem pessimum, nauseam semper sollicitantem, quodammodo corrigendo.

Quanta commoda ex auribus pauxillo gossipii obstructis oriri possunt, quis non videt?

Si autem hæc remedia in salutem parùm prosperè cedunt, et morbus invictus graviora sibi adsciscit signa, et hæmatemesis, syncope, vel palpitatio vehemens, superveniunt, ad remedia quæ his malis occurrunt confugiendum est.

An gas oxygenium dilutum, contra nauseam pertinacem valeret?

Ex

EX scriptis OREBASII, ÆTII, CELSI, et aliorum, bonos effectus qui in quibusdam morbis ex itinere marina profluunt, antiquos nequaquam latuisse, dilucidè constat: sed hos ex causa admodum dubia, ex motu navis scilicet, diduxerunt; ad aëra quoque marinum, utpote saluberrimum, et ad mentem gratè detentam, respexerunt: Singulatim has et alias hujusmodi causas perpendere, limites hujusmodi opusculis definitas multùm excederet; pauca de nausea et sequelis ejus, quæ ut mihi videtur maximas partes agunt, hicce subjecisse, sat fuerit.

Beneficia quæ ex hoc fonte derivantur, multò clariùs apparebunt, si animum paululùm advertimus ad ea quæ in illo morbo, nempe phthisi pulmonali tuberculosa, cujus causâ hujusmodi itinera plerumque præscribuntur, obtinet.

PHTHISIS inter primos morbos enumeratur, cui navigatio pro remedio præscriptum est; et intra paucos annos præsertim, auctor ingeniosus multa de hoc gravi proposito, in lucem edidit, ut videri est in libro cui titulum, "*The Use of Sea Voyages in Medicine.*"

In hoc libro haud pauca traduntur exempla, ex quibus liquidè patet, (quod, ut mihi videtur, auctor eruditus parùm perspexit), maxima beneficia quæ ex navigatione in phthisi oriuntur, ad nauseam inductam et ejus sequelas, non ad exercitium, esse tribuenda; etsi auctor ipse planè in alteram opinionem propendit, et sanè perhibet navigationem, propter nauseam quâ sæpe comitatur, non ita utilem esse, ac aliter fieret. Ecce verba: "But sailing is of mighty energy, yet safe, and, excepting the sea-sickness at first, easily sustained." Multi autem casus
qui

qui postea ab hoc scriptore narrantur, com-
moda quæ ex hoc fonte derivata fuere, planè
ostendunt.

Licet pauca depromere ex casu Nobilis
phthisi laborantis, qui curæ medicî deman-
datus fuerit: “ The 15th of February we
“(medicus et ægrotans) sailed from Mar-
“ seilles. At the 2d of March arrived at
“ Malta. During this short navigation, we
“ had frequent gales of wind, which almost
“ daily produced sickness, and vomiting of
“ bile in large quantities. The pulse came
“ down to 80, and never rose to 90. He
“ gained strength; his appetite grew sharp;
“ and his sleep sound and refreshing; in a
“ word, never was voyage attended with
“ more remarkable success.”

Et iterum: “ On the 8th of November, we
“ sailed from Bristol, and anchored in the
“ Tagus the 31st of the same month, without
“ any remarkable change; and that he now

D

“ received

“received no benefit was owing perhaps to
“this circumstance, that now blowing wea-
“ther did not cause any sickness, which ne-
“ver had failed before to produce some
“good.”

Nullum certè exemplum, ad beneficia quæ ex nausea oriuntur probanda, feliciùs excogitari potuit, etsi Doctor ipse paululùm hæret.

Casibus autem hujusmodi posthabitis, ad quos summa cum fidentia provocare liceat ; si ad effectus benè cognitos, quos nausea et vomitus diu protracti in vasa absorbentia exerunt, attentionem adhibeamus, navigationem hoc modo utilem fieri posse patebit.

Hæc certè opinio non merâ conjecturâ nititur, quâ nil potest esse ineptius. Theoria, enim quæ hujusmodi commentis solummodò fulcitur, nec ex legitima analogia, nec ex factis indubiis deducta est, in medicinæ opprobrium plerumque redundat.

Modus

Modus operandi suprâ descriptus, multa commoda secum affert, et haud parùm interest ut benè intelligatur; si enim probari potest beneficia, ex navigatione in phthisi oriunda, ad nauseam et vomitum referri debere, tunc pro longinquis transmarinis et periculosis itineribus, ad res angustas domi minimè accommodatis, ad breviora et tutiora, quæ omnibus ferè patent, decurrere possumus. Hinc remedium, ad quod, ex causis satis manifestis, paucissimi nunc confugiunt, in quotidiano ferè usu esse potest.

Nec sanè prætermittendum est, remedium semper esse in promptu, si nauseosis nimis gravis evaserit; paucis enim plerumque horis, ægrotantes terrâ potiri possunt: nec minùs ad rem pertinet, quod non angoribus cruciantur, cùm ex amicis divulsi, iis forsan in sempiternum valedixerint, sed dulci horum consuetudine consolantur et sustinentur.

Minimè

Minimè negandum est, navigationem, æquè ac alia quædam exercitationis genera, arteriarum micatus tardiores et molliores reddere; si autem tubercula adsint, et tantùm magnitudine increverint, ut pulmones irritent tussimque creant, nequaquam verisimile est, ullos effectus durabiles ex pulsu tardiore esse profluxuros.

Constat enim talem effectum sæpè per tempus haud exiguum, ope digitalis et aliorum medicamentorum, continuari posse; phthisi nihilominùs quotidie in pejus ruente, “viresque
“acquirat eundo.”

Nemo inficias ibit, quin navigatio diuturna signa nonnunquam mitiget; hujusmodi autem remissionibus plerumque parùm fidentum est; navigatione enim peractâ, morbus brevi iterum rediit, et omnia signa recrudescent, etiam in regionibus quæ phthisi laborantibus maximè favent. Nec semper evenit ut signa leventur; exempla enim traduntur,
ubi

ubi morbus, etiam in primo gradu passu æquè celeri ad exitum infelicem properare visus est, hoc et aliis remediis nequicquam repugnantibus*.

Multi homines quos phthisis immaturè abstulit, dum in classi, quæ, anno 1800, circa fretum, Anglicè *Channel* dictum, huc illuc cursitabat, navigabant, abundè testantur navigationem nullâ speciali virtute esse præditam, vel ad accessum phthiseos præcavendum, vel ad signa levanda; in hoc enim statu, ubi omnia adfuerunt, aër scilicet purus, et navigatio diu protracta, quæ vulgo in phthisi prodesse creduntur, huic malo nautæ quamplurimi occubuerunt.

A nonnullis objici potest, nautas in hoc casu ad causas graviores expositos fuisse, quæ ad morbum concitandum valerent; si autem
navigatio

* GILCHRIST, on the use of Sea Voyages, &c.

navigatio per se, vi morbum arcendi, polleret, his certè obstaret.

Si autem conceditur beneficia, quæ navigantibus contingunt, ex nausea præsertim pendere, cui nautæ minimè obnoxii sunt; quare in his phthiseos indicia non levantur, colligere pronum erit;—et sanè etiam apud omnes opinio haud contemnenda percubuit, navigationem parùm phthisicis prodesse solere, si nulla nausea obrepserit.

Si igitur bona ex navigatione profecta, ex nausea et vomitu esse repetenda, concludere liceat, itinera marina longiora minimè suadenda sunt; quippe hi effectus rarò ultra paucos dies protrahuntur: breviora igitur, quæ sæpiùs repeti possunt, his anteponenda sunt; et secundum effectus, quos ægri ex iis percipiunt, iterari debent: ratio enim non deest cur credamus phthisin incipientem, hoc remedio strenuè adhibito, vel omninò depelli, vel maximè levare posse; etiam ubi procli-

vitas

vitae in phthisin ex parentibus orta satis manifesta est.

Utcunque autem nonnulli de viribus hujus remedii dubitent, anceps quam nullum experiri certissimè præstabit, nec aliquid vetat quò minùs ex aliis magis usitatis eodem tempore auxilium petamus.

F I N I S.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

FINIS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL. 60607